Quelle: http://manuscripta.at/?ID=505
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

212

ra, que sex mille aureorum significatio, et decem mutatoriorum interpreta-
tio qualis sit. Et que natura iordanis pre omnibus aquis, ut solus maculose
diluat carnis illuuiem, nouumque efficiat hominem. Unde que septima
uice ut secundum illum oporteat lauari quemcumque renouari delectat. Profun-
da est multa et in his omnibus scientia et ego non potero ad eam. Altus, ut
sentio, puteus nobis proponitur et opertus limo et puluere, misticis et obscu-
ris significationibus umbrarum interpretatione uelatur. Veruntamen si assit
faueatque nobis spiritus dei a quo est interpretatio sermonum, conabimur purgare
limum littere fodientibus nobis in altum, et sacramentum subtilitatis inuenientibus
profundissimis eruentis aque uiue et perspicue salientis in uitam eternam. Aque
inquam impetu habundantie sicca et arida pectoris mei abluentes, irri-
gantes, satiantes. Abluentes a culpa, irrigantes ad germen gratie, satian-
tes fructu iustitie. Seu intelligibilius: Abluentes in gemitu et peniten-
tia eorum que fecimus nos. Irrigantes in specie reconciliationis illius qui fecit
nos. Satiantes pro munere gratie et pace reconciliationis inter nos et illum qui fecit
nos. Sed iam incipientes euertere limum, queramus primum quis sit rex syrie, quis
naaman diues pariter et leprosus, qua ratione quam plurimis salutem cum sibi
nequiuit sanitatem tribuisse dicitur, et cur a rege alienigena ad prophetam israelis et
legis alterius missus describitur. Cetera deinde uidebimus. Significatio re-
gis. et leprosi. et diuitiarum. et missionis.

Regem syrie principem interpretor ego,
aeris huius et tenebrarum harum, qui operatur in filiis diffidentie, et regnat super
uniuersos filios superbie, seu leprosos syrie. Conuenit autem figura interpreta-
tionis principatui dominationis. Syria enim interpretatur sublimis. Et si lep-
rosus inmundus est, et inmundus est omnis qui exaltat cor suum. Leprosus procul
dubio qui cor exaltat, et lepra ipsa superbia est. Ex hoc euidenter naaman
speciem gerit uniuscuiusque qui lepra peccati et contagione uiciorum conspergitur, donec
principi seruit superbie, auctori malignitatis, et inmundicie subicitur.
Vulnus et liuor et plaga tumens serpit per corpus, per artus oberrat. Non de
syria exieris, non ueneris ad galileam. Fefellit me in alteracio dicti-
onis, et phelisco posui galileam, et cum preteriuit me littera, sensus efful-
sit, patuit ueritas. In loquela galilei ueritatis esse discipulus petrus agno-
scebatur. Sic dictum est a pancilla: Vere tu ex illis es, nam et l. t. m. te facit.